

*tes dein contracto.* — Resp. V. Legitimi, ac legitimate nati quoque sunt, et reputantur illi, qui ante matrimonium ex fornicatione soluti cum soluta concepti, postea tamen matrimonio inter eos jam contracto nascuntur. Communis, textu claro l. *Nuper* 11. *C. de Natural.* lib. 7. *Et multo magis*, ubi etiam pro favore liberorum sancitur: « Ut semper in quæstionibus, in quibus de statu liberorum est quæstio, non conceptionis, sed partus tempus aspiciatur, exceptis his tantummodo casibus, in quibus conceptionem magis approbari, infantium conditionis utilitas expostulat: » hinc etiam ob favorem liberorum ille, qui in utero est, pro nato habetur, l. *Qui in utero.* ff. *de Statu hominum*, quod tamen non prodest aliis; licet enim posthumis hæreditas restituatur, tamen si mater ante partum patiat abortum, hæres infantis in utero primo existentis non evadit.

18. *Secus est, si imprægnata contrahit cum alio.* — Dicitur autem notanter in conclusione, « matrimonio inter eosdem contracto; » nam si quæ ab alio, quam cum quo postea contrahit, prius fuit imprægnata, utique illegitima erit proles, quæ ante tempus debitum, tertio v. g. aut quarto post matrimonium mense nascitur, si maritus negat, se prius copulam habuisse cum moderna uxore, per jura allegata.

19. *Proles septimo post matrimonium contractum mense inchoato nata, censetur legitima.* — Quæritur II. Quomodo ex tempore natiuitatis, vel conceptionis præsumantur liberi legitimi? Resp. I. Quamvis ordinariam pariendi tempus censeatur esse novem menses, tamen etiam illi censentur legitimi, qui septimo post matrimonium initum procreantur mense; communis ac certa expresso textu. l. *Septimo*. 12. ff. *de Statu hominum*, ibi: « Septimo mense nasci perfectum parentum, jam receptum est propter auctoritatem doctissimi viri Hypocratis: et ideo credendum est, eum, qui ex justis nuptiis septimo mense natus est, justum filium esse. »

Idque intellige non tantum, si septimo mense jam completo, sed etiam si ad initium istius mensis partus fit, arg. l. *Intestato* 3. § fin. ff. *de Suis, et Legit.* ubi expresse dicitur, eum, « qui centesimo octogesimo secundo, id est 182, die natus est, justo tempore videri natum, » quod tempus septem menses solum inchoatos efficit, ut calculanti menses patebit.

20. *Sicut etiam nata mense decimo —*

Resp. II. Pariter legitima proles censetur, quæ decimo mense nascitur. Rursus communis, arg. c. *Contrario.* cit. l. *Intestato.* ff. *de Suis, et Legitim.* ibi: « Post decem menses mortis natus, non admittitur ad hæreditatem: » ergo a sensu contrario ante decem menses vel mense decimo admittitur, textu etiam expresso l. *Gallus*. 29. ff. *de Lib. et Posthum.* ibi: « Si post mortem in decem mensibus proximis natus erit: hæredes sunt. »

21. *Non item mense undecimo jam completo.* — Resp. III. E contra proles, quæ undecimo mense jam completo nascitur, ordinarie pro illegitima habetur, communis ac certa, textu expresso cit. l. *Intestato* ff. *de Suis et Legitim.* ac *Novell.* 39, cap. II: « Mulier, etc., undecimo mense perfecto peperit, ut non esset possibile dicere, quia de defuncto fuisset partus neque enim in tantum tempus conceptionis extensum est. »

22. *Bene vero eodem non completo, sed primum inchoato, aut ad medium producto nata.* — Dicitur tamen primo: « Undecimo mense completo; » quia, ut vult Glossa ad cit. *Novell.* 7. *Perfecto*, si proles duobus diebus post decem menses, vel ut cum aliis vult Engel, h. t., n. 7; Haunoldus, *de Justitia et jure*, tract. IV, n. 139, si circa medium undecimi mensis proles nascitur, legitima censenda erit; saltem si mater bonæ existit famæ, et maritus, dum e vivis discessit, nulla ratione ad copulam fuit impotens, arg. cit. *Novell.* 39, cap. II, ubi Imperator loquitur de mense perfecto; et tunc primum vult, talem partum præsumptione juris esse illegitimum, ut proin textu l. *Intestato.* ff. *de Suis, et Legitim.* et l. *Gallas.* ff. *de Liber. et Posthum.* intelligendi non sint de mense undecimo stricte inchoato, sed jam aliquatenus progresso: tum ob favorem proles c. *Ex tenore*. 14, h. t. « Tum quia in dubiis semper benigniora præferenda sunt, l. 56. ff. *de Reg. jur.* » Tum quia delicta præsumi non debent, sed probari per dicta num. 16.

23. *In casu extraordinario etiam post completum undecimum mensem proles reputatur legitima: et quando?* — Dicitur secundo: ordinarie; quia cum mulieres ob diversam dispositionem et qualitates naturæ tardius, aut citius parere possint, omnino accidere potest, quod etiam post mensem duodecimum legitimus habeatur partus, et pro tali reputari merito debeat, præsertim, si, ut dictum, concurrat bona fama mulieris, ac

medicorum (qui utique in hoc audiendi sunt) iudicium, quibus favent jura, num. 15 et 18, citata, et ea quæ pro praxi ad propositum adducit Godefridus, in Not. ad cit. *Novell.* 39, cap. II, litt. c. Atque iudicium Parisiense, quo partus quatuordecim mensium legitimus iudicatus fuit, inter alia ex eo, quod mater esset honestissimis prædita moribus.

## § II.

DE ILLEGITIMIS, ET EORUM LEGITIMATIONE PER SUBSEQUENS MATRIMONIUM, AUT RESCRIPTUM PRINCIPIS: UBI ETIAM DE DIFFERENTIA INTER LEGITIMOS, ET ILLEGITIMOS QUOAD EFFECTUM.

24. *Illegitimi sunt, qui ex matrimonio vero, aut putative tali, nati non sunt.* — Quæritur I. Quam omnes, et quotuplicis generis sint illegitimi? Resp. I. Illegitimi sunt omnes, qui non nascuntur ex matrimonio legitimo, vel saltem putative tali, bonaque fide in facie Ecclesiæ contracto, juxta dicta n. 2 et seqq. adeo ut illegitimi existant non tantum illi, qui extra omne matrimonium, sed etiam qui ex matrimonio, invalido tamen, et mala amborum parentum fide contracto gignuntur. Communis ac certa, per jura n. 2 et seqq. allegata.

25. *Horum alii sunt naturales: et qui? alii manzares.* — Resp. II. Illegitimi varie dividuntur. Alii enim sunt et dicuntur naturales: alii spurii: alii ex damnato coitu. Naturales de jure communi dicuntur omnes, qui nati sunt a parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel saltem natiuitatis poterat esse legitimum matrimonium, sive dein mater fuerit meretrix publica, sive concubina patris. De jure civili autem naturales dicuntur illi soli, qui ex soluto et ejusdem concubina unica domi, loco uxoris retenta, atque tali, ut inter eos tempore conceptionis aut natiuitatis potuisset esse matrimonium, proveniunt, l. I, et seqq. *de Concub.* Illi vero, qui ex meretrice pluribus exposita proveniunt, vulgo quæsitii, item spurii vocantur, l. *Vulgo quæsitii.* ff. *de Statu hominum*, item *Manzares*. Verum quia hodie concubinatus per leges Ecclesiæ sublatus est, can. *Nemo*, 4, cau. 30, q. 4, et *Concil. Trident.*, sess. 24. *de Reform. Matrim.* cap. VIII. (ubi etiam gravissimæ contra concubinos statuuntur pœnæ) naturales in sensu juris civilis vix amplius dantur; quibus tamen æquiparantur bastardi, id est nati ex

soluta, quæ nec concubina, nec publica meretrix, sed alias honesta, hic et nunc autem seducta est.

26. *Alii sunt, spurii, et qui?* — Spurii de jure canonico vocantur omnes, qui sunt nati a parentibus, inter quos tempore conceptionis vel natiuitatis non poterat esse matrimonium, arg. c. *Quantæ.* h. t. De jure civili vero non tantum præfati, sed etiam illi spurii dicuntur, qui a meretrice pluribus accessum præbente, ita ut certus pater demonstrari nequeat, gignuntur, juxta dicta: n. præced. arg. l. *Vulgo*. 23. ff. *de Statu hominum*, ibi: « Vulgo quæsitii sunt, qui patrem demonstrare non possunt vel possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet, qui et spurii appellantur. »

27. *Alii ex damnato coitu, et qui?* — Nati ex damnato coitu de jure canonico cum spurii conveniunt, imo etiam de jure civili, excepto quod nati ex matre meretrice, hoc jure etiam spurii, non item ex damnato coitu vocari possunt. Cæterum utroque jure nati ex damnato coitu dicuntur illi, qui nascuntur a parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec tempore natiuitatis poterat esse matrimonium. *Novell.* 74. cap. 6.

28. *Horum iterum alii adulterini; alii sacrilegi; alii incestuosi; alii nefarii, et qui?* — Horum spuriorum, seu natorum ex damnato coitu alii sunt, et vocantur adulterini, qui videlicet ex adulterio gignuntur, can. *Nemo*, cau. 32, q. 4. Alii sacrilegi, qui scilicet ex religioso aut moniali, vel clerico in sacris constituto generantur. Alii incestuosi, nati nempe ex parentibus affinitate vel consanguinitate collateralis conjunctis, § *Inter eas, Instit. de Nuptiis*. Alii nefarii, et sunt illi, qui ex patre et filia aliorumve ascendentium et descendentium copula procreantur, § *Ergo Instit. de Nupt.*

29. *Illegitimi in quo differant, et deteriores sint legitimis?* — Quæritur II. In quibus differant, et deteriores sint illegitimi a legitimis? Resp. Præterquam quod illegitimi sint inhabiles ad suscipiendos ordines, beneficia, et dignitates ecclesiasticas, juxta dicta lib. I, tit. XVII. Item, quod cum legitimis non succedant in hæreditate paterna ac materna, juxta dicta lib. III, tit. XXVI, a. n. 410. et tit. XXVII, a. n. 11. (ubi amplius vide de illegitimorum successione, aut hæreditate) præter hos, inquam, effectus, etiam ille notabilis est, quod illegitimis semper adhæreat macula paterni peccati, ita ut, etsi illegiti-

mum esse, non sit nota delicti, si tamen nota defectus, c. *Accedens de Purgat. Canon.* Et vacillat ejus opinio arg. can. *Laici.* dist. 33. timeaturque in eo incontinentia paterna juxta illud poetæ :

Sæpe solet similis filius esse patri.

Verum quia illegitimi a copula immunes, ac innocentes sunt, ideo in eorum favorem remedium invenerunt jura, legitimationem nempe illorum, eamque præcipue duplicem, per subsequens matrimonium videlicet, ac rescriptum principis : de quibus sequentia erunt quæsitæ.

30. *Proles illegitima naturalis legitimatur per subsequens factum matrimonium.* — Quæritur III. Quinam illegitimi, et quo effectu legitimentur, vel legitimi fiant per subsequens matrimonium? Resp. Omnes et soli illegitimi naturales per subsequens matrimonium inter parentes eorum legitime contractum legitimantur, seu legitimi fiunt. Omnes, textu claro c. 1 et c. *Tanta*, 6. h. t. ibi : « *Tanta* est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. » Concordat I. *Divi Constantini*. l. *Cum quis*. 18. et I. *Nuper*. 11. c. de *Natural.* lib.

31. *Etiam ratum.* — Ampliatur conclusio I. Etsi matrimonium non sit consummatum, sed præcise ratum, Barbosa, in cit., c. VI, h. t., n. 12; Pirhing, h. t., n. 36; Pontius, lib. XI, cap. I, § 2, n. 16; Engel, h. t., n. 9, cum communi aliorum, arg. cit. *Juribus*, utpote quæ consummationem non requirunt; consequenter etiam de rato matrimonio intelligenda sunt, eo quod favores extendere oporteat, c. *Odia*, de *Reg. jur.* præsertim quando agitur de favore liberorum, c. *Ex tenore*, h. t.

32. *Et a senibus, infirmis; vel periculo mortis contractum.* — Ampliatur II. Etiam si a senibus, infirmis, aut etiam in periculo mortis matrimonium contrahatur, Barbosa, loc. cit., n. 8; Pirhing, loc. cit.; Pontius, loc. cit.; § 1, per totum; Sanchez, lib. VII, disp. 103, n. 5 et 6; Covarruvias, p. 2, de *Matrim.*, cap. VIII, § 2, n. 10; Azorius, tom. III, lib. II, cap. XIII, q. 11, cum communi aliorum per jura et rationem num. præced. allegata.

33. *Tam mediatum, quam immediatum.* — Ampliatur III. Sive matrimonium immediate, vel mediate sequatur generationem proles illegitime natæ, adeo ut legitimetur proles,

si pater ejus non statim cum matre, sed cum alia prius contrahat, et primum hac defuncta, matrimonium cum matre illegitimi ineat; hoc enim posteriori, consequenter mediato cum matre matrimonio statim legitima evadit proles. Pontius, loc. cit., § 2, n. 13; Pirhing, loc. cit., n. 36; Abbas, in c. *Tanta*, 6, h. t., n. 3, et ibi Barbosa, n. 7, cum communi: ob rationem jam dictam; quia jura plus non requirunt, quam ut matrimonium legitimum inter parentes proles illegitimæ sequatur; nec specificant, an mediate aut immediate fieri debeat.

34. *Etiam sine denuntiationibus celebratum.* — Ampliatur IV. Etiam in casu, quo parentes hujusmodi omissis absque justa causa aut dispensatione denuntiationibus, consequenter in aliquo sensu clandestine matrimonium contrahunt. Barbosa, in cit. c. *Tanta*, h. t., n. 10; Sanchez, lib. III, disp. 44, et alii. Ratio est: quia tota vis legitimandi prolem attribuitur matrimonio, quale revera etiam est matrimonium sine denuntiationibus contractum, supposito quod impedimentum dirimens non subsit. Et hæc, si matrimonium valide contrahatur, certa sunt apud doctores.

35. *Secundum aliquos etiam per putativum matrimonium subsequens legitimatur proles.* — Major autem controversia et difficultas est de matrimonio putativo, invalide nempe, bona tamen fide, et præmissis denuntiationibus inter parentes illegitimi contractum. Pontius siquidem cit. lib. VII, cap. I, § 2, n. 13; Gonzalez, in c. *Cum inter*. 2. h. t. n. 6; Pirhing, eod. n. 36, et alii volunt, etiam per tale matrimonium legitimari prolem prius illegitime natam, ex eo potissimum fundamento, quod, cum ex tali matrimonio liberi legitime procreentur juxta dicta n. 2 et 3. textu expresso arg. c. *Cum inter*. h. t., non appareat ratio, cur idem matrimonium non habeat vim legitimandi prolem prius illegitime natam. Accedit, quod in dubiis favorabilior juris interpretatio sit assumenda, c. *Estote de Reg. jur.* præsertim ubi agitur de favore liberorum, c. *Ex tenore*, h. t.

36. *Verior tamen est opinio contraria.* — Verum quantumvis probabilis et favorabilis censeatur sententia isthæc, probabilior tamen de jure videtur negativa, quam tenent Abbas, in c. *Tanta*. h. t. Covarruvias, de *Matrim.*, p. 2, cap. VIII, § 2, n. 20; Zoesius, h. t., n. 13; Fachin., lib. III, *Controvers.* c. LV; Engel, h. t., n. 9; Molina, tr. II. de *Justitia et jure.*

disp. 172, n. 11, et alii. Ratio est: Tum quia in cit. c. *Tanta*. h. t., sicut et in legibus civilibus vis legitimandi prolem non tribuitur bonæ fidei, sed ipsi matrimonio proprie tali hoc ipso quod in sensu et significato proprio accipienda sint jura, arg. l. *Non aliter*, 69. ff. de *Legat.* 3. Tum quia, quod est de jure nullum, nullum producit effectum, l. 4. § *Condemnatum*. ff. de *Re judic.* Tum etiam, quia juxta n. 30. et dicenda infra num. seq. per subsequens parentum matrimonium non nisi naturales legitimantur liberi, id est, nati a parentibus, inter quos tempore conceptionis aut nativitatis, potuisset esse matrimonium; quales utique non essent sed spurii forent a parentibus, inter quos tempore conceptionis aut nativitatis nequitiam verum sed ratione latentis impedimenti solummodo putativum esset subsequens matrimonium, juxta dicta.

Cur autem ex putativo matrimonio legitime nascantur, et tamen non legitimentur liberi, ratio desumitur partim ex clara dispositione juris c. 2, h. t. partim quia natus ex putativo matrimonio absque delicto nascitur; ille vero, qui per subsequens parentum matrimonium legitimari debet, supponitur ex delicto utpote ex fornicatione natus, pro quo proin merito tam favorabilia non sunt jura, quam pro illo, Abbas, loc. cit.; Engel, loc. cit., et alii.

37. *Spurii in sensu canonico non legitimantur per subsequens matrimonium.* — Resp. II. Spurii in sensu canonico seu nati ex damnato coitu, id est, a parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec nativitatis poterat esse matrimonium, per subsequens matrimonium non legitimantur, et ideo in concl. præced. num. 30, posita diximus, omnes et soli naturales liberi. Pirhing, h. t., n. 38; Engel, eod. n. 11; Barbosa, in c. *Tanta*, h. t., n. 30, et ibi doctores communiter, arg. cit. c. *Tanta*, h. t., n. 30, ubi Summarium sic habet: « Naturales legitimantur per sequens matrimonium, spurii vero non. » Ratio est: quia fictione juris non censetur matrimonium lege retrahi ad illud tempus, quo verum matrimonium lege irritante, esse non poterat; cum fictio non debeat esse majoris efficacæ, quam veritas, et naturalis actus.

38. *Bene vero spurii in sensu civili.* — Dicitur autem spurii in sensu canonico, quia spurii aliqui in sensu civili, illi nempe, qui ex publica meretrice nati sunt, omnino legi-

timantur per subsequens parentum matrimonium, ut habet hodie communis, arg. c. *Tanta*, h. t. nec obstat, quod secundum leges nati a meretrice non legitimentur per subsequens matrimonium. Resp. enim, derogari eis in hoc puncto per sacros canones citatos.

39. *Legitimantur proles sive tempore conceptionis, sive tempore nativitatis solummodo parentes fuissent habiles ad matrimonium.* — Sufficit autem, sive tempore conceptionis, sive nativitatis parentes sint habiles ad matrimonium inter se contrahendum. Covarruvias, de *Matrim.*, p. 2, cap. VIII, § 2, n. 2; Molina, cit. disp. 172, n.; Pontius, lib. XI, cap. III, n. 2; Sanchez, lib. VIII, disp. 7, n. 19; Fachin, lib. III, *Controvers.* cap. L; Engel, h. t., num. 11, cum communi aliorum contra Zoesium, h. t., num. 18 et alios. Ratio est: quia universaliter in quæstionibus, in quibus est dubitatio de statu liberorum, attenditur tempus partus, vel conceptionis, prout nempe exigit favor, aut utilitas liberorum, textu expresso I. *Nuper*. c. de *Natural.* lib. Concordat Novell. 89. cap. VIII. Hinc etiam favore liberorum habetur: « qui in utero est, perinde est, ac si in rebus humanis esset constitutus, quoties de commodis ipsius partus agitur, » l. *Qui in utero*. 7. ff. de *Statu hominum*.

40. *Hinc legitima est proles, quam generat maritus vivente sua uxore, ex aliena, si mortua uxore nubit, partu necdum edito.* — Infertur I. Cum præfatis doctoribus quod, si vir vivente uxore sua aliam imprægnat, et uxor dein moriatur, antequam adultera partum edat, proles ex tali adulterio concepta legitimetur per subsequens parentum matrimonium. Nec obstat huic celebrationi c. *Tanta*, 6, h. t., ubi talem partum non legitimari, decidi videtur. Nam contra est, quod ibi sit sermo de casu, quo adulterinus partus editus est ante mortem uxoris, uti patet ex illis verbis: « Si vir vivente uxore ex alia prolem susceperit; » quia proles suscepta non dicitur ante nativitatem.

41. *Pariter est legitima proles concepta ab impeditis, si ante nativitatem impetratur dispensatio.* — Infertur II. Etiam tunc prolem per subsequens parentum matrimonium legitimari, quando parentes tempore conceptionis ad nubendum sunt quidem inhabiles ob interveniens impedimentum dirimens affinitatis v. g. vel consanguinitatis, ante nativitatem tamen facti sunt habiles, sublato v. g. per dispensationem pontificiam impe-